



52

PANEGYRICUS,
CHRISTINÆ,
 SVECORVM, GOTHORVM,
 VANDALORVMQUE REGINÆ,
 SEMPER AUGUSTÆ,

IPSO SVO XVIII.º NATALI,
 Qui est dies Decembris Octavus
 ANNI cto IncXXXIV.

AVITI REGNI SVECIE
 GUBERNACULA
 FELICITER CAPESENTI,

Scriptus
 à
 J. W.

#

Handwritten note:
 H. v. d. H. v. d. H. v. d. H. v. d.

37 / 6

PANEGYRICUS,
CHRISTIANE

SECTORVM, GOTHORVM,
VANDALORVMQUE REGINE,
SEMPER AVGVSTA,

1830 2VO XVIII. NATALI,

Qui est dies Decembris Octavus

ANNI 1604

AVITI REGNI

GUBERNAC


THICHTER GABRIEL

Scipius

4

J. W.



 Uod Te, Augusta, nemo haecenus, publice orando, infantiam suam & virium imbecillitatem prodere voluerit, nominis tui celebritas & incomparabilium virtutum magnitudo fuit: alij forte innumerorum in patriam meritorum & pro eadem maximarum rerum gestarum oblivionem, familiari splendore & domesticam jam factam Majestate, apud ingentes animas, qualis tua est, induci sensim, non citra rationem opinati, infelicis eloquentiae suae, vel facundiae impetum cohibere. Secus nos persuasi, (vox enim hac mecum universorum ac sententia est) credimus, nulla committendum fuisse amplius ratione, ut tacitam haecenus & suspensam nominis tui atque factorum gloriam, utut laudatione omni superiorem, nostra omnium gaudia atque felicitatem publico dissimularem, nec dum instante hoc desideratissimo & maxime solenni die, quo, quod felix, faustum, fortunatumque sit, Tibi Svecorum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Livonum, Esthonum, Ingorum, at quantum populorum! sceptrum & imperium, spes gentis tuae atque salus, destinata jam pridem & conventa jurataque ordinum voluntate & suffragio, civium universorum votis & gratulatione, mandatur. In illo dignitatis apice, Augustissima Regina, hodie collocaris, quo majorem suprema Majestas experere sibi minime potest, fortuna in humanis non novit, nec virtus sive gloria meretur. Quam tuam magnitudinem cum universi palam & ubique loquantur, (tot enim illius praecones, quot homines sunt) Federati constantiae tuae atque fidei admiratione, socij meritorum sensu venerentur; ipsi hostes, eorumque alij ruinam suam, alij justissimam invidia haecenus celebrarint; quid nobis, quaeso, faciendum incumbat, qui propius felicitate perfruimur, a quibus Tu tamen, quod cum DEO habes commune, nihil praeter pietatis officia, gratas voces, rectum animum & sine furore comprecationes, in acceptorum beneficiorum gratiam exigit. Quae vero beneficia non nisi maxima esse possunt, cum ipsa, vel annis, vitae propemodum, nedum laudabilium factorum, & quae ex illis proficisci alioquin solet, publicae utilitatis expertibus, largissime sese non in civem tantum & inquilinos, sed externos etiam, sed universum mortale genus diffundere coeperint. Ab excessu Maximi tui Parentis, adhuc pene infans, & vix tum sexennis, illo sexu, & difficillimis temporibus, quid praeter victorias, virtutis & fortuna praemia, nonne meros de potentissimis hostibus, & quae his longe pejora, tot monstris, perfidia, insidijs, dolo, pessimis discordiae inter socios ferenda artibus, machinationibus clandestinis, feralibus non unius generis arcanis, falsis conciliandae pacis, rerum illius suavissima, simulacris & fucato ministerio triumphos, publicae letitiae documenta, in nos contulisti? cum annis tuis, quod magis crescere visus hostium insultus ac superbia, augeri vicinorum nefas & in nomen tuum livor, eod minus Te felici-

A

lici-

licitas & gestorum claritudo defecit. Et ne deficeret tantillum, sed
amplius auferetur, nuper, nulla quidem tuâ vel tuorum culpâ, sed ex so-
la infestissimi vicinorum insolentia, supercilio, vi & injuriâ, nova Tibi
materies victoriarum exstitit. Neglecta vicinitatis, sanguinis, le-
gum, pactorum jura, ablata, captæ civium tuorum fortuna, tentata
iniquitate Tu ipsa, tentatitui, vexati, afflicti. Quicquid justissimarum
causarum esse unquam potest, propter quas suscipi bellum non solet
tantum, sed debet, illud in vita Tibi oblatum, tot annos clam ingestum,
ut non justum tantummodo esset, sed necessarium & inevitabile, sed
coactum. Qualicumq; vero illud natum ad victorias occasione, siue
exerendæ adultæ simultatis libidine, siue nimia post offensam securi-
tate atque virium tuarum contemptu, vel audendæ neutiquam ulti-
onis persuasione, perinde hîc mihi est, hoc solummodo arguenti, ex
novo, quamvis gravi Tuis, bello novas laudes, nova decora Tibi exo-
riri. Verum enim vero, si exemplis & seculorum famæ credendum, te-
merè laceffito hoc ætatis genere, ipsius innocentia & flagitio omni va-
cuâ ætate, composito non ad concitandum odium, sed commiseratio-
nem orphanarum nomine, tum spreto impotenter infirmiori illo sexu,
post Deum, tutorem tuum & archistrategum, nec non optimam causam,
haud parum ad felicitatem momenti conferri solet. Cujus prodigio-
sæ rei admiratio tantas in animis terræ Principum pridem egisse radices
videtur, ut Deum non minus tuam, ac Te Dei & suorum causam, mini-
mè viribus vel consilio humano sed Dei nutu agere, sibi persuasum ha-
beant, invidi idem, velint nolint, non sine damno fateantur; famâ hujus
Universi per vulgatâ, siue Te calorum Depositum & desuper datum fe-
licitatis Suecane pignus credamus, siue Gustavi, magna illius arboris,
celo pridem, unde ipsa his terris commodata aliquandiu fuerat, rece-
ptæ Traducem agnoscamus, neutiquam posse, Te superstitute illorum
quenquam, qui causam hanc tecum propugnant, de prosperitatis nostræ
perennitate desperare. Jam si virtutem tuam & gesta cogitemus,
tantus illorum numerus, tantaque sunt, ut ad illa heroum ætatis hujus
fortissimi stupeant, nobilissimi vero dicendi artifices, sola argumenti
Majestate, veluti sacro horrore perculsi, obmutescant. Referre ta-
men, veniâ tua, liceat, Augusta, publicas gentium voces, orbis applau-
sum, & famæ, qua ubique celebraris, principia indigitare. Minimè
verò ex Rhetorum consulto, quod nec inusitatorum facinorâ ratio, ne-
dum Majestas laudandorum atque dignitas agnoscit, nec etiam incor-
rupta hujus hominis libertas, utpote nullo, quod sciat, beneficio de-
vincti, adeoq; extra adulationis timorisve suspensionem positi, admittit.
Atque multis quidem memoranda, si à capite, ut solenne oratoribus, ar-
cessendum, aliena avorum facta forent, nisi ipsa propriis, si quisquam
imperantium hoc seculo, quammaximè abundares. Proavum tuum,
illum

illum Patriæ omnino Parentem, multis hæc laudibus persequar, qui non tam splendoris gentilitij & Domus tuæ Majestatis, sed communis omnium libertatis auctor exstitit, Danica tyrannidis immanissima, immeritorum malorum, crucium, proscriptionum & quicquid barbari rabies excogitare potest & infligere calamitatum, vindex; quem Ecclesiæ sacrorum, quæ falso dogmate, tot commentis hominum, tot superstitionibus ceu purgamentis inquinata fuerant, Auspicem; Respublica securitatis suæ Statorem, justitiæ atque Legum Restitutorem veneratur. Cui incolumitatem, vitam, majorum decus, fortunas omnes & patrimonia, & quæ caducis omnibus longissimè præhabenda est, animorum libertatem debent, quotquot Suecicum Gothicumq; nomen hodie profitentur. Johannem afferam, illum maximis & heroicis plane virtutibus Regum longe clarissimum, quem si Majestatem, cum Alexandris, si sapientiam & admirabilem facundiam, cum Carolis & Alphonsis, si pacis studium æstimemus, cum Augustis contenderimus; aut loquar Carolum, belli illud fulmen, dignissimumq; Magno Patre filium, ipsum, ob indefessas libertatis Svedicæ servandæ curas, ob religionis patrocinium ac tutelam, patriæ Patrem. Inprimis verò Gustavus, non tam cognomento, quam factis Magnus, fœcundum laudis omnis argumentum nobis foret, nisi inusitata ejus virtus & modum supergressa magnitudo consumsisset pridem omnes laudes, sufficeretq; contra quorumvis fremitus, hostium malevolentiam, tum degenerum ignaviam posterorum, viventium animis & ipsi æternitatis albo Magnum maximi nominis tui, quam Sueciæ, quam Christiani orbis Parentis nomen, & in hoc Universum merita pridem inscripta esse; nisi, inquam, sufficeret sideris illius, vel occidui radios à parvis imperantium foribus & vulgo Regulorum non nisi connivis oculis, etiam limis, quibus ipsi sive in exemplum nimis coruscant, sive cæteroquin displicent ob livorem, spectari: dicendi autem artificibus disertissimis audacissimisque, vel solâ virtutum tanti Regis cogitatione sensum omnem, necdum orandi copiam adimi. Verum tamen gravissima omnium hæc ratio imperat, ut majorum tuorum, eorumq; seorsim singulorum virtutibus exprimendis supersedeamus, quod in Te velati compendio universarum spirantes adhuc vultus & vivas imagines, cælorum indultu ac benignitate, coram intueamur; firmiter persuasi, nullum ex gentilitijs heroibus, quamdiu Tu vixeris, periturum. Neque etiam veterrimam gentis tuæ originem, Gothorum incunabula, superstitionis hinc inde conquisitis ad divinitatem documentis, quod plurimi populorum fieri à scriptoribus gestiant, eruere volupe est. Dixisse modo illud suffecerit, Sueciam Te educasse, eamque si nullo alio, certe hoc exeruisse maxime probasseque suam terrarum orbi virtutem & conatus, quod Te, Augustam, produxerit & produxerit protinus, non sine præsentissimo maximoq; publici emolumentum.

lumento. Vix enim Te Suecia dederat, cum ipsa eo quod dederat, longe plus, sui nimirum tutelam, delicias insuper & amorem, inestimabilem gloriam, seculi felicitatem, lauros & trophæa, veluti proximus fato orbis Christianus Destinam & Atlantem suum in Te accepit. Ut nihil dicam de immortalitate, quam natalibus tuis profapia, haud minus aëlia, naturæ juribus obnoxia conciliasti. Cum enim Tu exstares, de successore & aviti solij hereditate dubium omne cessavit, metus omnis ab ambitu, à vi, à discordia sublatus, de stabilimento Republicæ & perpetuitate cautum fuit. Nec etiam minima pars curarum, quæ optimum parentem circumsteterunt, hæc fuit, ne Resp. cum ipse foris sanctissimam, quam ipsa hæctenus agis, regni hujus & sociorum causam assereret, domi ex negligentia circa unica sobolis dignum germine tanto cultum & ad virtutis gloriaque studium disciplinam, quid caperet detrimenti. Hinc in tempore prudentissimus Regum, & jam imminentis fati, ut erat gnara omnium magna anima, præsciens, testamento legit, quibus, post excessum, Regni sui & hæredis dilectissima tutela committeretur. Inter quos, post Gabrielem Oxenstiernium, (cujus virtutum apud Te Augustam, perpes & nunquam interitura memoria) eminent Petrus Brahaus, vir generis splendore, indefesso egregij publici studio, incorrupto legum atque justi patrocinio, fide, facilitate, atq; in affectata mansuetudine, Tibi & tuorum universis impense probatus; cujus in patriam merita, nominis claritatem & virtutes, quas recensere singulas vix valentissimi ingenij fuerit, qui non suspicit, nã ille est indignus, cui benigni quidquam a terrestribus sideribus, qualia inter præfulget dignissimus hic Sueciæ tuæ Primas, colluceat. Ab hoc secundum agnoscis, Augusta, Tutorem, Jacobum de la Gardie, incomparabile togæ pariter atque sagi decus, virum meritis, rerum usu, consiliorum divinitate & rectissimo in patriam animo inestimabilem; cujus fortitudinem & factorum prodigia Sarmatæ ac Rutheni, utrique olim hostes, adhuc stupent; cujus vigorem animi, & invidendum pro salute publica ardorem, cum non frangat cunctorum potens, fortuna, sed intendat, non potest non quisque exquisito cum pietatis sensu & publici boni gratatione admirari. Carolum vero Gyldenhielmium quis bonorum, quis bene Tibi tuæ quæ Svedicæ volentium non ad cælos efferet? cui cordi pietas & innocentia, cui præclara facinora ac immensi pro patria labores, cui solida prudentia, insignis rerum magnarum usus, isque invicta mille adversorum & indignitatum tolerantia confirmatus, cui exquisita tot linguarum peritia, disertissimi oris suavitas admirationis sunt. Nec Gabriel Oxenstiernius eximia laude carere potest, quem dudum, præter gentilitiam virtutem, publicæ incolumitatis studium, amor patriæ & indefessæ pro ejusdem incremento curæ, prudentissimum Regni opum, belli nervorum moderamen mirifice commendarunt. Cum primis vero laudis
omnis

omnis numeros absolvit, & excessit temporum omnium emulorumque
invidia terminos Magnus tuus ac tui Regni Cancellarius, Axelius
Oxenstiernius, qui exemplo suo haecenus Orbi probavit, quantum possit
unius hominis pro Regno amplissimo, gravissimis intricato bellis, pro
desperatis Europæ rebus, tum inter mille atque mille & turbulenti tem-
poris & à malevolis difficultates, victrix prudentia. Verbo ejusdem
encomium complectar, si dixerò, ipsum civilis prudentiæ Compendi-
um, Protestantium in Rom: Imperio Dictatorem & Oraculum, Fidei
Augustanæ in his terris Patronum ac Tutelarem, Sueciæ Palladium non
mea, sed orbis universi voce passim appellitari. Horum Tu freta ductu
& consiliis, primo ætatis tuæ vere, sed alacris & fiduciâ Numinis plena
Regni tui ac sociæ Europæ rem auspiciata fuisti, vastum hoc pelagus me-
diis atque undique sævientibus tempestatibus navigatura. Domi
utique tuta & pacata omnia, omnium admirandus pro dignitate, pro
salute tua atque Regni consensus, pro libertate & vindicandis sociorum
sacris constans ardor, pro justissima tua causa fortunas atque sangui-
nem ordinis cujusque cives certatim offerebant. Foris contra Cæ-
sar & Hispanus ex Gustavi excessu prospera sibi plurima, cessuros ne-
cessitati aliquando tuorum spiritus, secutura sociorum dissidia, certa
rerum propriarum in melius mutationem pollicebantur; & ille in pri-
mis, Cæsarem puto, de Domus suæ instauranda fama & parandis muni-
mentis, tum maxime Imperij hereditate sollicitus, veterem in reliquos
dominatum intendebat, adhibitis jam tum in rem denuò receptis eidem
familie & solennibus modis, domestica jurgia universi Imperij armis
asserere, in eaque imperare æterna universis tributa, obsequia ibidem
recusantibus Lege Majestatis minitari, reliquos, quorum si ve vitium
diffidentia, si ve natura vitium, si venaticus in Te livor cognitus fuit,
spe, pecunijs, pollicitationibus & indulgentia tentare. Caterum
de reducis servitutis, & quam sustulerat à plurimorum cervicibus
Magnus Liberator, tuus Parens, denuò inferenda curis Austriæ nihil re-
miserant: persequi jurata bella, sensus Protestantium Principibus ac
Rebusq. graves esse, Proceribus Imperij interitum, civibus, oppidis,
nationibus excidia moliri, studium eorum unicum, unicus labor fuit.
Cum Polono, veteri nec minus acri hoste, medijs Inducijs, conquieverat
aliquandiu belli furor, sed mox usitata animorum contentione repe-
tendus, quod Uladislavus titulo Sueciæ Regis superbire tam audebat,
qualem, ex Regni lege, ne Regum legitimorum quidem filiis unquam
arrogare licuit, ante dictum Regno sacramentum, peractaque cum as-
sensu Ordinum inaugurationis solennia; si ve ipsi à Regni Senatu Ordi-
nibus ve Reges legitime designati fuerint. Quibus tamen non nisi De-
signati Regis exsertim nomine, ante coronationis festivitatem uti fas
vel permissum est. Porro cum Moscho quidem pax, eaque nuper tum

confirmata fuerat, ex belli tamen, quod eidem cum Polonis interceae-
bat, eventus, vicinis, multis aliquando nominibus, gravi atque infidioso,
justus Tibi metus. In Germanijs Fœderati tui diffidere, diverso cæ-
teroquin, hoc solum uno animo esse, quod communem causam pari fere
omnes negligentia agerent; nutare, modò pacis lenocinio & nescio
quibus non ad violanda sacramenta atque fidem comparatis artibus
tentari. Ex vicina Dania affatim honorum scilicet! & suorum verbo-
rum, nisi ipsis virus, fraudes & a vita odia subfuisent; quæ ut cooperi-
rentur, pacis cum hoste, qui immortalia tantum bella, sociorum disjun-
ctionem & fallendi instrumenta meditabatur, & reconciliationis stabi-
liendæ speciosum nomen inter remedia fuit, præterquam quod non-
nulla cum tuæ Majestatis & Suecici nominis contemptione, qua vici-
cinus tuus nunquam non laboravit, agitentur. Hic rerum tum status,
hic habitus animorum erat, cum Tu habenas Regni tui & simul infelicitis
Germaniæ causam protegendam captares, nisi quod mox, auspicijs, in-
stinctu & consilio proximi Regis, pejus quid & longe omnium detesta-
bilius secutum fuerit. Horribile dictu! perfidiâ crimen ab eo patra-
tum, in quem longe majora ac in reliquos, quotquot sunt vel tum fuê-
re Sueciæ tuæ socij, beneficia exstiterant. Elusit scilicet perfidus Prin-
ceps fidem tam sancte datam juratamque, tam sancte confirmatam; fe-
fellit perjurio & desultorio facto non Germaniam tantum, sed simul
Christianum orbem, quacunque patet, qui ex illo federe communem
omnium libertatem & Regnatricis Domus fata expectabat. Quod ve-
rò nefas, ut auctori non impune, ita singulare ad victoriarum initia
momentum Tibi fuit. Nunquam antea letiores frequentioresque
Tibi de hostium cladibus nuncij allati sunt, nunquam antea largior,
sed gloriæ tuæ Albis fluxit, quàm ex quo violata illa fides. Fusi hostes
ubique, solo tuorum nomine territi, pulsî, cæsi, prostrati. Nec scelus
perjuri Principis, deductis in ejus ditionem totiens exercitibus, minus
Tuis hostes ulti, minime ulcisci illud Tui desinent, quamdiu in ejus ter-
rarum visceribus hærebunt, quamdiu tributaria feralis regio atq; vecti-
galis futura. Verum enim vero gravissimum visum iniquissimumque
veterem Cæsaris injuriam etiam socij perfidiâ cumulari, illa ætate, quæ
otio sustentari & à curis libera esse solet. Verum ut pleraq; tua sine exem-
plo, inusitata, inaudita sunt, ita quoque talem esse disciplinam tuam
oportere cui mirum videatur? Parari scilicet bello illis annis, quibus alijs
vix belli nomen sciunt, ulcisci crimen, cum de crimine per nativam
innocentiam nondum constet. Omnia vero ex usu publico æstimanti-
bus haud judicatu difficile fuerit, divinitus haud dubie factum, ut matu-
re corporis mentisque nervi ita frangerentur, qui mollitiæ resolvi alio-
quin, frangique delicijs consueverunt. Certè indignissima hæc inspe-
rati hostis facinora foris exercitationes tibi pariter atque rudimenta
dom

domi prima potissimaque studia fuere, Augustanam fidem, quam
hactenus tot tuorum sanguine defensas, doceri, ad virtutum regiarum,
patrij moris & instituti cultum erudiri, ad civium amorem ac gentis
tuae inflammari. Nihil bullarum primis annis vel fasciolarum, nisi pro
illis signa militaria & tubae fuerint, pro crepundiis bella. Puellares
tui ludis, nosse maximorum Regum gesta, terrarum mariumque situs,
populos, eorum mores, ingenia, vires percontari. Non fallere tempus
tibi vel infantiae aetate licuit, sed impendere Reip. curis: non imagun-
culas aut pupas, quas sculptor, sed quas Mars fugit & Bellona, viros,
bellatores, strategos cogitare summa atque unica voluptas sunt. Si
qua vero remissiones aliquando interponuntur, illae à virilibus & Re-
gum institutis minime discrepare solent. Venari, sclopo experiri, cur-
su contendere, in gyrum agere ferocissimos equos, fossas ipsis iterum
atque iterum transire, nivibus, glaciei de industria committi, ven-
tos, pluvias, tempestates subire; jacere humi; rupibus vel saxis labore
fessa indormiendo Dianam emulari; ceterum vigilijs & tolerantia
vel robustissimis exemplo & stupori esse, non tam cum viris Tibi
commune, quam proprium ac peculiare est. Nunquam alacrior, quam
tibi genium defraudare licet; nunquam prandes melius, quam ubi oi-
bum labos atque fames condit; tum gratiores tibi cenae, si intra pa-
nis frustum atque carnis consistunt, quam ubi ex varijs dapibus, bella-
rijs lautitijve multo cum apparatu struuntur. Tibi jam frigus, caeli
asperitatem & labores expertura qui pellitas vestes, solida indumen-
ta, vel tedium fugam memorat, nae ille nullam apud Te gratiam
intre, sed reprehendi graviter solet; quod non puduerit opinari, inesse
Tibi praeter sexum faeminei aliquid posse, vel potuisse Tibi contingere
impar virili labori ferendo corpus, quae animo virilem conditionem,
tot Reges factis fortissimis pridem superasti; ignorantiam juxta mol-
litiei suorum apud Te conquesta, quasi uno simul loco virtus & vo-
luptas commorari possint; quasi solidae virtutis, qualis est tua, ma-
gnitudine non dolores omnes, non omnes molestiae eliderentur; quasi
etiam possint esse in obscuro infallibilia illa & curvis obvia ad virile
ingenium argumenta, quae non finxit ars, vel disciplina, aut simulatio,
sed natura ipsa in Te palam signavit. Facies est mascula, compositi ad
gravitatem oculi; oris quantum decus? qualis habitus? quem curam
omnis, omni cum studio frustra disimulares: & ille corporis incessu Te
nobis non tam faeminam viri spiritibus dotatam, quam masculum ju-
venem veste faeminae ementitum late ostendit. Nihil in Te nisi virile,
ubique vigor, ubique Majestas, quae vel disimulata sponte sua, veluti
nescius contineri intra mediocris corporis terminos ille immense ac
caelestis animae ignis, erumpit. Ut rectius Virago quam virgo appella-
ri merearis. Virilem & jam annosum in juventute animum, in puber-
tate

rate senilem tuam prudentiam quis hostium non invidit? quis tuorum non miratus? sed paternæ dotes ita transfundendæ in Te omnes fuerunt, ut non facta sed nata Regina, non tam populi tui & orbis suffragio, quàm virtutis propriæ commendatione in hoc fastigio collocata credereris. Et quid virtuti tuæ tam arduum, quid tam indomitum dextræ esse potest, postquam ipsa temporis ac veluti rerum naturæ domitrix pridem atque victrix exististi. Etatem, quæ oblectari ludis & otio solet, virtute & rerum felicitate ita antevertisti, ut, tempore quasi facti Tibi tributario & obsequente, imperium tuum ex ipsa celeritate perennari, atque adeo fatalis rerum humanarum conditio ex contractâ annorum periodo abortire videatur. Quod non frivolis vel minutis, aut, quas pedagogi inculcant, tristibus ineptis, trivis, vel difficilibus nugis umbraticorum, sed post excelsam mentem, validis ad virtutem atque immortalem gloriam præceptis, exemplis maximorum virorum acceptum refers. Hinc nemini facile mirum, robusta tot sapientiæ seri inter sermones à te præcepta; voces plebejæ nullas, nullas triviales, sed regias passim exaudiri: Judicia à Te ferri de rebus gravissimis solida & matura; vitia, ignavia, tum maxime juvenum nobilium torporem atque otia, ceu perniciofa publicæ rei, probrosa Tibi futura atque onerosa ex animo odisse atque detestari: virtutes contra alijs maximopere commendare, proprio ad illas exemplo præluere; magna nosse ingenia, sententijs exquirere aliorum, in magnarum rerum quarumque rationem indagare, sapientiæ adminicula conquirere, in promptu habere, exequi: solam gloriam animo habere præfixam, de immortali nomine & æternitate animarum quotidie ex Seneca tuo, divino illo atque solo inter paganos Christiano, eoque omnium, quos commendat antiquitas, maxime cordato virtutis magistro, fabulari. Quem tanti fecere ipsi Patres Christiani, ut illum eorum alij dixerint suum, alij Apostolis familiarem, Hieronymus Sanctis prope modum annumerarit. Ut hoc solo superis dispar videaris, num inferior incertum, quod ipsi indole sua ac natura sapiant, Tu ad sapientiæ & virtutis gloriam peritiâ rerum atque disciplinâ magnis passibus grasseris. Quales potissimum suppeditari Tibi ab actionum illo humanarum cornucopiæ, quod Historiam appellamus, vix ipsa diffiteris. Ex ea enim veluti ex editissima Universi hujus ac omnis ævi specula omnium, quotquot exstiterunt ab orbe condito, illustrium virorum facta nationum ac regnorum moderamina, sapientiæ Dictatorum placita atque leges, ingenia populorum, pacis bellique omnis initia & eventus, veterimarum gentium domi militiaeque gesta momento quasi prospectare licet; inde Regnorum omnium incrementa atque interitus, firmamenta Rerump. & conversiones, fortunæ omnis ludibria, inconstantia atque varietates patefcunt. Eonos malosve Principes unde

de melius, unde tutius imitanda quæque juxta ac fugienda, quam in
Neronibus, Domitianis, Theodosiis, Constantinis cognosces? Jam di-
versa unius ejusdemque patris admodum ac filij ingeria exhibentur in
Philippo & Alexandro, Macedonia Regibus; quorum ille vulpi simil-
limus, technis, astu & vasfrictis, hic apertus animi, cordatus, manu omnia,
& longe quidem patre majora pluraque exequebatur. In Romanis
Imperatoribus uti eximias hic illic virtutes, ita non minus vitia at-
que labem vel in celeberrimis, in Cajo Casare intensam ambitionem,
in Augusto vasferimas artes, in Tyberio strophas omnes, libertatis in-
sidias & calliditatem deprehendis. Quoquò cæterum intendas ani-
mum, affatim suppetit, unde si ve belli consilia, si ve munimenta pacis
depromas. Si fidei violata præmia & fata perjuratorum nosse lubet,
Pænorum, Saguntum, contra fœdus atque datam Romanis fidem, ex-
scindentium oculis illic obversatur; Uladislai Regis Hungarorum,
& quorum non divini ad societatem humanam vinculi ruptorum exem-
pla in propatulo sunt. Quæ sit confidentis & cerebrosi Principis for-
tuna, præ reliquis Carolus Burgundus exemplo suo apud prudentissi-
mum Flandrorum Equitem industria tuæ probavit. Imperiti livoris
& temerariarum æmulationum vix aliam præter cladem & discrimen
esse pretium, Philippum, potentissimum Hispaniarum Regem vel à fœ-
mina, sed Reginarum ante ætatem tuam laudatissima, Elisabetha cœo-
Etum, didicisse Te pridem compertum habemus. Quam heromanam
non tantum sexu; sed virili simul animo, virtute ac ingenio, susceptis
maturè pro Rep. curis, exantlatis feliciter magnis seculi & orbis pene
casibus, profligatis ferocissimorum hostium insultibus, sumillimam Tibi
admiraris, & ad cælos propemodum, ut præ modestia tua loqui ita lice-
at, effers. Reliqua quæ in tot Annalibus alibi atque alibi per interval-
la leguntur, his Tu, Regina, Augusta, annis, ferè absque intermissione
præstitisti, ut exequi prius difficillima quæque ac moliri visa fueris; nova
penitus, admirando & dictu perdifficili gestorum tuorum temperamen-
to, in quibus incertum, num plus subsidij prudentia à celeritate, atque hæc
à consilio mutætur; illo sane ad votorum & expectationis nostræ
compendium comparato successu, ut bella tua & victoria hæctenus nec
tempore neque nominibus distinguantur. Turbaverat quidem, ut u-
tramque Tibi fortunam hac occasione juxta memoremus, tuam & af-
flicti Germanorum Imperij causam ad Nordlingiacum primis guberna-
culi annis novercans fortuna; quam verò, si occasionem excutiamus,
non causa, cujus ad æquitatem tot à cælo atque ipso Deo documenta,
neque vitium tuorum aut imbellia, sed impotentia unius hominis vel
æmulatio, permultis tamen laudatissimis postmodum & in publicam
Germanorum rem longe utilissimis facinoribus abolita, provocavit, si-
ve divina potius providentia admisit. Enimvero cælestis intererat
Majestatis, gloriam, quam mortales imperitiores humanis facile adscri-
psissent

psissent viribus, vindicare sibi integram, mundanis juxta testari visa.
Tuae tuorumque securitati perinde inter pericula atque perpetuos
triumphos consulis, modo omne quantumcunque refers gloria, soli ut
Universita innocentia hujus Protectori tuo adscribas. Minime vero
hanc Tu Numinis voluntatem & placitum unquam obsequio, aut, ut
humanitus cogitemus, rerum Naturam vel ejusdem Proceres, Solem,
Lunam, elementa, imitamento tuo dedignari voluisti. Quae non tam
quietis interponenda proprio, quam occulto conditoris arbitrato lan-
guent aliquando & imbecillius habent, sed ut ex instaurata nativa
eorum virtute major redundare in se benignitatis genus mortale cre-
dat. Ita expedita virtus tua & magnitudo animi non poterat ut-
cunque ad gloriam, Gloriosissima Reginarum, nisi per difficillimos hos
casus, per has salebras eniti. Neque aliunde orbi luxuriantis pridem
prosperitatis & victoriarum saturo, quam ex aliqua calamitate incita-
menta ad novam virtutis tuae expectationem suppetebant. Quae quod
generosior & minus invicta, eo asperius subire documentum tenebatur.
Proinde non nisi à clade & periculis Imperatrix tua munia sumere au-
spicia oportebat; & Gubernatrix Te nomine dignari Regnorum arbi-
tro haud visum, nisi prius virtute tua in procellis illis ac tempestivus
explorata. In primis fatali illo, si providentiam Dei immortalis at-
que jussu, si afflictorum necessitatem expendamus, praecoci Magni Pa-
rentis excessu, ceu feralibus fluctibus navigium hoc Europae libertatis
obrutum atque immersum penitus credebatur. Verum, haud ullo me-
liora cogitante, certe praeter spem nostrum & hostium rationes, Te su-
perstite, triumphorum ubique fama increbescere coepit. Neque vi-
debatur amplissima, quam ad Visurgim retuleras, victoria ad felicitatis
tuae primordia esse satis, nisi tua arma simul ipsis Alpibus ingererentur,
quae tum hostis infestam Italiam omnem ac Hispaniam in Te ac Germa-
nias effundere conabatur. Quam utramque in limine stitisses tum, fa-
cillime vel repulisses, si Helvetiorum populo major libertatis suae ac
viti privilegij, tum communis cum gente tua ortus atque sanguinis,
quam effascinantium Austriae Domus, aut vane terrentium verborum,
sive domesticae diffidentiae ac jurgiorum cura fuisset. Caesar interim
experimento tum didicit, quam nihil virtuti tuae invium sit, nihil inex-
pugnabile, nihil inaccessum. Rhenus, qui domitoris terrarum orbis,
populi Romani progressuum metator olim habebatur, jam sui pene ar-
bitrium, & invictum Spirensium Praesulis ad eundem castrum, & am-
plissimum Austriorum patrimonium, potens illa urbium & per opportu-
na Tribocum provincia tuae sese potentiae submiserunt. Inde in Ba-
variam, in Sueviam victricia arma illata, quibus Ratisbona, Biberacum,
Memminga, Campidonum, Landshutum, & quae non munitae civitates
expugnatae sunt. Sequentibus hinc annis (eos enim libenter solis
victo-

Victoriarum nominibus discernimus) Saxonia Vertumnus, hostium
tuorum alter, qualem ipse se, post violatam fidem, voce insuper atque
factis temerario ausu professus fuerat, Deum immortalem: quot quan-
tisve cladibus affectus fuit. Ad Damitium primum, mox ad Kiritium,
iterum ad Wistochium, solo triumphorum tuorum nomine nobilitata
municipia, cum exercitu Casareo juxta validissimo, occidione cæsus
est. Ut fluenta utraque, Albis, Havela tot stragum monumenta & ho-
stilis inconstantie piacula ad vicinos, inde ad dissitos, ac omnem deni-
que posteritatem transferrent. Quod verò ad innocentissimos se si-
mul ciues calamitas diffuderit, quem privata Principis culpa meruerat,
non tuo jussu aut voluntate sed inevitabili potius necessitate & severâ
belli lege factum fuit: hoc verò discrimine mali atque moderamine in-
terposito, commissum in publicum & commune federatorum bonum,
privato arbitrato, privatoque commodo, scelus publico quidem omni-
um fortunæ, sed privato principis atque proprio famæ damno, jure
merito ita expiari. Quicquid enim non à Tuis hic vindicaretur, illud
sive ab indigena sive externo hoste in Tui detrimentum iri versum
recte credebamus. Proinde in Misniam, in Thuringiam, in Franco-
niam provincias itum, ex quibus hostico omni, omnibus Imperij hosti-
bus metus atque terror incuteretur. Qui postmodum omnes vicissim
ad propulsandum commune periculum, vel desidia infamiam abolen-
dam conjurârunt. Est apud Misenos ad Albi oppidum, minus a-
liâ cæteroquin re, atque procerum Provinciae conventibus & venatio-
num apparatu nobile, Torgavia ipsi nomen est, ubi exercitus tui Impe-
rator, Johannes Banerius, nemini magis ac hostibus felicitate, fortitu-
dine ac prudentia militari cognitus, substiterat. Hic quotquot tui
per Imperium hostes, Casareus, Bavaricus, Saxonicus, innumeri omnes
exercitus, innumeri militiae Imperatores, Gallasius, Hatzfeldius, Mara-
zinius, Gætzius, Glitzingius, & denique Cheruscorum Alcibiades cum
Swartzenbergico, & quibus non ducibus militiae ac præfectis, quorum
pene plures numero ac tui milites erant, veluti ad excidium alterius,
scilicet! Troje, properare, mimitari, sibi applaudere, de eventu belli
gratulari, reliquis sui ingenij spem facere maximam. Qui vero tuo-
rum cladem & interitum sibi tam confidenter præscripserant, ut, fru-
strâ supputatâ amplissimâ ratione, Casari & complicibus indignatio-
nem, sibi ipsis socordia premium, famæ jacturam, orbi ludibrium uni-
versi debuerint. Receptus inde, non qui desierat, sed qui futuram
magis maximæ rei occasionem speculabatur, magnus, acer, invictus,
hoc est, Succicus animus, quo hostem Tui ita obtrivere, ut Albi ali-
quandiu oberrans, totiens denique concisus, & inedia, armis atque ferro
pejore hoste emaciatus, in Bohemiam, cum multo Regni, jam, si Dijs
placet, Austriæ peculij, damno, summo hostium dedecore & infamia re-
jectus,

jectus, detentusque ibidem ineffabili cum jactura fuerit. Dehinc nulli à Cesare suspecti duces, nulli à Saxone recepti in belli ministerium, qui non à tuis vel clade affecti vel capti sunt. Capti sunt non eodem praelio vel momento, sed per intervalla & victoriarum spiramenta, & præbendo spectaculo circumducti, ut invidis vel ignorantibus memoremus, Salisius, Bucheimius, Hofkirchius. Nec hæc anni illius periodus, vel modus tuæ felicitatis stetit, sed principum Germaniæ fluminum, Albis, Sala, Visurgis Arbitra virtus tua atque Triumphatrix tum celebrabatur. Nec mora, in Saxonia robur Cesarei equitatus fregere Tui, per Palatinatum, mox in Bavaria Cesarem, jam tum publicè inter Imperij Proceres æternum in Te persequendi belli subsidia meditantem territabant. Tantum quoque absuit, ut post fata virtutum laude bellicarum cumulatissimi tui ducis, res tuæ vel minimum loco aut solitæ fortunæ gradu dejectæ fuerint, sed à militia reliquis, memoria fortissimi imperatoris sui, cujus tum cada ver, haud infausto omni, castra sequebatur, sive justa vindicandæ justissimæ causæ emulatione incitatis, bis ad Lycaoniæ paludes casus hostis ad internecionem fuerit. Quam tuam felicitatem qui ignorant, ne illi quicquam sapere merentur, qui dissimulant, insigniter impudentes sunt, quorum illi hanc cælorum clementiam stolide aversantur, hi ipsa se indignos profitentur, utrique certe tanto beneficio & tuo amoliendæ servitutis ardore indignissimi. Tu vero, Augustissima Reginarum, ut illa victoriarum serie in oramem Imperij hostem redegeras, nihil intermittendum rata curarum, ut armis, quæ successu suo ac fortunâ, etiam hostium sanguine adhuc calebant, territæ pridem Austriæ reliquiæ premerentur, impelleretur solitorum triumphorum cursus, imperator novus ad novam aspiranti gloriam exercitui & in proximas spes erecto præficeretur. Is fuit Leonhardus Torstenij F. Forstena Toparcha, qui ex infimis militia ordinibus ad summam tum pridem ab imperatoria adscenderat, cum laude, dignitatem, bellis difficillimis innatus quasi & innutritus, pari alacritate & prudentiâ ducis munia ac hostem aggressus, nisi quod mox felicitate admirabili, eaque de cælo prodigijs confirmatâ, ceciderit ipsum ubique, oppresserit, profligarit. Et ne in procul sitis vastatis pridem & vastandis amplius ab Austrio milite terris arma tua spectaret tantum aut luderet, sed domi in patrimonij visceribus ac medullis sentiret ambitiosus hostis, illa in Silesiam, Moraviam, Bohemiam, & ipsius adeo Austriæ, malorum omnium officinæ, interiora transferenda existimasti. Quæ si unquam tum maxime terribile Imperio Ferdinandorum nomen incredibili suorum velocitate, inde urbibus arcibusve munitissimis captis, hinc suorum fuga & validissimi exercitus clade, ducis ipsius carcere, ipsa ex vulneribus, quæ inflixerant victores, contractâ morte, omnigeno demum successu tuo ac felicitate insigniter consternaverent. Donec
uni-

universum Austria, quod renatum fuerat pro sua fecunditate, robur,
& ex vicinis amplius Regnis mire cumulatum firmatumve, ad Lipsiam
fatalem, & aeternis seculis Sueciae tuae & cupidae libertatis Germania me-
morandam urbem rursus prostritum & prope deletum fuerit. Ut ne-
sciam, num plusculis victoriarum tuarum narrationibus obscuretur ma-
gis rei veritas & magnitudo, quam explanetur, cuius tot illustrium bel-
li imperatorum, Merodij, Altringeri, Saxoniae Engriae Principis,
Francisci Alberti mortes, evidentissima fortitudinis tuae argumenta,
cujus innumerae captae praelio machinae, trophaea, exuviae, signa sexcen-
ta & cruenta aquila in hac urbe & proximis cubiculo tuo locis, quo sa-
pius facinora tua meminisses, & ad talia complura inflammaberis, quo-
tidie visuntur. Verbo inter acclamations nostras factorum & virtu-
tis tuae momenta complectimur, si dixerimus, Te magnam Amazonum
progeniem & veluti alteram Penthesileam non pro urbe una adversus
imbelles Graecos, sed contra potentissimas bellicosissimasque nationes
pro orbis libertate, feliciter atque mascule fecisse; tot hostes tuos &
Imperij, innumeris fractos cladibus & concisos, a tuorum focis ac fortu-
nis victricem haecenus avertisse. Ita tamen, Augusta, ita, inquam,
bellare, ita vincere bello didicisti, ut illud tot jam annos per Legatos
tuos pridem volueris ex animo terminatum, quando vix tantum Te bel-
lo, ut ut justissimo, gloriam credas acquisituram, qualis certe longe ma-
xima & immortalis acquisita est, quin ex pace, sed honesta, sed securam
majus Tibi adhuc nomen, majora patriae & afflicto orbi beneficia operia-
ris. Quod quo minus ad vota tua comparuerit, neutiquam tuo, sed ho-
stium, sed falsorum proxenetae merito factum fuit. Legatos tuos
ad saluberrimum negocium mitteres? misisti; mandata ipsis dares &
potestatem? dudum jam dedisti. Moram & tergiversationem hostes
Tuis impingerent, cum ipsi praesentes semper & ad rem parati fue-
runt. Minus seruum, id est suis similem verae pacis referenda ani-
mum exprobrarent hostes Tibi: ne facere hoc ausi quidem. Haec ve-
ro una & sola impedita salutis causa, (audiat hic Caesar! audiat Hispanus!
audiant Imperij Primates & ipse malefidus mediator) pacis simulato
nomine socios divellendi, bella eo terminorum protrahendi studiū,
donec serenior fortunae facies aliquando affulgeret. Frustra proba-
rent alij adversum a pace hostium animum, quod ipsi de eo plus satis orbi
jam per annos plurimos ac palam testentur. Mittere ysdem modo placuit
qui inanes titulos, voces, captiunculas & sophismata profiterentur, modo
qui cum Federatorum alterutro, eoque non veluti hoste, sed de victo de
pace negociarentur, plurimos Imperij principes veluti perduelles, &
Imperij lege victos, alios ceu damnatos proscriptosve, alios ferro do-
mitos eodem negotio dedignati. Iterum adventare alij, mandatis ve-
ro instructi nullis, nisi ferendi vanissimos in vulgus de agitanda pace

D

rumo.

rūmores. Alijs vicissim mandata, secus potestatis codicilli concessi erant: dati postmodum ita comparati faere, tot cautelis, exceptionibus, dubijs sensuum restricti, ita mutili, ut, quicquid secus imperitiori plebecula persuasum, nihil ageretur. Nisi quod etiam acta in antecessum rata habere Caesar tergi versatus fuerit, modò pactam Legatis nimiam securitatem, modò in Tuis ordinem titulorum turbatum, in proprijs Legatis nominum Majestati Casarea convenientium oblivionem causatus. Adjectum tandem id indignitatis & vesanae opinionis, ut Legatorum tuorum literæ ad maturandum negotium horratrices indignæ fuerint habitæ à Casareis, quæ admitterentur; & Dani Regis causam propterea suam Caesar recte facere arbitretur, quod is conciliator partium fuerit. Quasi verò bello huic cum Germanico quicquam commercij esset vel commune: quasi sopiendis Arctoi hujus orbis bellis non ex lege & veterrimis pactis præscriptum dudum foret: quasi non Galliarum Rex pridem & Belgæ Liberi utrinque admissi fuissent; sed Casaris esset, hic modum Tibi ponere, & sua auctoritate negotio signare loca. Rectius suscipienda sine arbitris pacis compositio à Te oblata; vel si hoc nolent hostes, oblato mediatores Dux & Senatus Venetorum; oblato eidem fini Imperij Ordines. Sed utriusque rejecti, siue quod in Danum plus spei ac fiducia, siue, quod omnium verissimum, nihil ad reconciliationem in animis hostium serivæ voluntatis sit. Electores Imperij verò atque Principes quid? Eos sponte ad magnum hunc & tot hæctenus votis exoptatum diem properè comparituros, nihil propius fuit, quàm ut vel sacramenti nomine asseverasses. Jam ipsos toties, clam, palam vocatos, ipsa calamitatis propria, exilij, carceris, ablato aut violati juris, & nullius non tolerantie tyrannidis gravitate invitatos, invitandosque communi omnium, & eorum cujusque suæ securitatis spe, morari, non potes non Regina Benignissima, siue damnosum neglectum, siue malas hostium artes accusare, sortis interim & post futura miserrimorum Principum conditionis serio misereri. Quorum causa bellum hoc maxime in hunc diem bellas: in quorum gratiam pro obtinendis publicæ fidei tabulis apud Imperatorem tantâ hæctenus sollicitudine actitatum fuit. Ita spretâ omni & suorum & quorumque Imperij civium incolumitate, malo Genio agitati hostes tanto continuare æstu infelicia bella student, ut de reducendis ipsis placido in viam modo penitus desperâris, difficillimum factu rata, ut qui pacis odio perenne bellum sibi legerant, belli vicissim odio pacem minus sibi prodesse visam, nisi coacti, amplecterentur. Sed velutinunquam rationum momentis, nedum persuasionibus ad mentem vel æquitatem in se ipsos iniqui atque rabiosi, (quales pridem hostes tuos perpetuò belligerandi impotentia & cunctis dominandi cupido effecit) sed flagris, sed continuis tormentis revocantur: Ita non desinent bellaturire insani hostes, donec

donec jugi affecti clade & potentia omni attriti, cohibere immanitatem hanc & majorem viribus ferociam discant, donec immensi dominatus progenitores spiritus ad sui, id est, humane & communis cum reliquis mortalibus sortis confessionem vi compellantur. Et quemadmodum effæta mentis ætas conceptas semel opiniones non nisi cum vitâ deponit, ita senium hoc pertinacissimarum pro immortalis bello opinionum, & quod ipsi individuum, de exoleto in reliquos principatus delirium solo sui excidio tollendum videtur. Quod forsitan pridem fuisset sublatum, nisi id perfidiosa ipsius Mediatoris cum hoste collusio sustentasset, lata hosti auxilia, injecta Tuis totiens sufflamina, additæque aliquando comminationes, traxissent firmassentve. Ne quid dicam de occultis machinationibus, movendis inter socios jurgiis dissidiisque, rumpendis pactis & federibus; quæ non fictæ & simulate, qualiter pacem, sed seriò atque gnæviter publicus prævaricator à multis retro annis versavit. Reliqua ipse injuriis, nefas, intercipiendo naves, tuatorumque bona auferendo, pacta, jura, privilegia tollendo tam impudenter exsecutus, ut, nisi volueris proculcatum amplius Majestatis Tuae nomen, subversam tuorum libertatem, cum gentibus transmarinis commercium omne inderdictum, inevitabili necessitate coacta fueris decernere bellum tertio huic hosti, viciniam, viribus integris, earumque genere & opportunitate cæteris minimè postremo. Cum primis autem Godanam Fretum fuit, opportunum ad nefas illicium, ex quo Tibi tantum injuriæ, tantum Tuis damni illatum. Quod cum ipsis externi juxta quique tantopere queritati, ut sinum illum non transitum, qualis revera est, vel patentem liberæ navigationi maris portionem, qualis censerî debet, sed Harpyjarum sedem, alij Erynnidem & navigantium Mageram, eorumque in bona æternum actionum argumentum, alij Syrtes adeo atque Stygem hæctenus appellarint. Et, ne in causa evidentissima quid dissimularem, Syrtis profecto sinus ille Arctous est, ad quam negotiantium non pauci navium, mercium, fortunarum, immunitatis atque privilegiorum naufragium hæctenus fecere. Arcadicâ vero Styx hæc longe pejor, quod ipsa liberrimis populis, ista animalibus exitiosa tantum perhibeatur; etiam hoc à fabulosâ illa Poetarum diversa, quod illius liquor ob nimium frigus contineri non possit nisi ungulis mularum; hujus contra pestiferæ lymphæ tantus fervor, ut exurat, consumat universa, adeoque nulli populorum ulla parte modo-ve tolerandus, nisi quibus forte à naturâ inclementiori brutorum & asinina ad indignum quidvis bajulandum tergora contingere. Liberrimum ipsis Christianis Turcorum tyranni Hellepontum; liberrimas Gadum insulas Hispanorum ac Maurorum Reges mercantibus relinquunt. Nec in Arabico, in Persico, in Gangetico, vel quæ apud Indos sunt, Mexicano, Vermilio fretis quicquam vectigalis unquam imperatur.

In

In hoc verò Codano non una nec unius generis vocisque vel stata tri-
buta, sed varia, sed admodum decupla, eaque singula in diem fere gra-
viora arroganter & pro arbitrato imponuntur, non sine injuria & ludi-
brijs exiguntur. Cujus Tu, augusta, & minime ferendi Majestati de-
decoris impatiens, tot quidem annorum bellis defatigata, & uti no-
huic, si arma spectes, si animum, veterrimo hostium falso creditum, ex-
hausta viribus, & milite, scilicet! defecta recens bellum tanto animo
molita fuisti, tantoque idem successu moderaris, ut excidium suorum
atque stragem senserit prius hostis, ac Tu de Suecia tuenda salute vel
victoria cogitasse videaris. Exstitisti tandem, exstitisti Fortissima
Virago, quæ antiquissima gentis Danicæ piacula, in Teutones, Saxones
immanitatem ac sevitiâ, in Holsatos, Vandalos & ipsos Norvegos ty-
rannidem, in naufragos inhumanitatem, in navigantium innocentis-
simos injuriam, immerita in tuos tot seculorum odia ulcisceris, & ul-
tura amplius modernum nefas, non minus veteri apud gentem tuam,
quàm viso hodie novo & inusitato exemplo, quando à Temyri, Vestræ-
te apud Massagetæ Reginâ, Cyrus, Persarum Monarcha non victus
tantum & debellatus, sed insuper, quem sitierat hauseratque cruore, sed
proprio exsatiatus fuit. Nunquam vero tui dememinerint proximo-
rum seculorum, quibus eorum majores modò ab hostibus patriæ do-
mesticis, quorum ordine ac tempore postremus, sed vitijs ac turpitu-
dine facile primus, ille nomine solummodò Magnus Rex fuit, modo
Regibus gente exteris, virulentissimis Suedici nominis osoribus, Me-
gapolensibus, Pomeranis, Bavaris, sed omnium dirissime à Danis, cum-
primis Margaretâ, infestissimâ genti tuæ sceminâ, tum truculentissimo
illo Danico Busiride, Christierno pressi & exagitati sunt. Intestina
discordiâ Danorum artibus & vafritie, mirum quantâ facilitate inter
Sueones Gothosve, utrosque jam ex asse atque animo Tuos, olim ex-
citata fuerint. Dignitates, magistratus Dani gerebant & extra-
neorum nationi tuæ atrocissimorum quique, Regni arces, castra non Sue-
ci homines, sed Dani moderabantur, exteri, Germani, Angli, Itali, sed
plurimum Dani præfecturas agebant. In Suecorum sanguinem, in bo-
na, infortunata, in domos, in focos, in quid vis, ne exceptis jumentorum
caudis quidem, in audito tributorum, indictionum & fœdis simorum one-
rum nomine, Dani præfecti Dani publicani imperium exercitabant,
fidelissimis patriæ libertatis ad laqueos atque cruces damnatis, ne ca-
da veribus à flamma & ignominia immantibus. Non sexus, nullam
vitæ genus aut conditio, nulla temporis nomina, non anni, non menses,
non hebdomades ab iniquissimis vectigalibus vacuæ fuerunt, quid?
ipsis defunctorum & jam tumulis conditorum hereditates iniquissimi
heredipetarum, Dani invadebant. Cetera ad justissimas querelas
irrisionibus & plenis ludibrijs responsis ipsi, pro nativo in gentem tuam
can-

candore, exequabantur. Atque eò gratior hæc superiorum iniquitatis
seculorum memoria, quò major temporis hujus securitas, major feli-
citas. Vix mulhebris olim fraus vel immanitas affligere tantum tuos
potuit, quin ipsis pietas tua, tuus candor & benignitas majori hæcenus
solatio fuerit, quin idem moderato tuo, Virginis placidissima scepro,
perpetuis victoriarum nuncijs, felicitatis ac stupendæ virtutis tuæ admi-
ratione, fortunato hoc cævo, reficiantur magis, magis exhilarentur. Ne-
scio verò, num fortitudinem tuam magis, quàm prudentiam in bello hæc
& suscepto atque gesto admiremur: ut, dum publicæ tot annos injuria
patientiam prudenter dissimulas, prudenter in tempus suum æquis sumæ
causæ ultionem noveris differre: & quò ad bellum tardior atque dif-
ficilior, eò jam in ipso celerior & fulgure concitator videaris. Quod
nos non tantum prudentiæ, sed pietatis simul nomine veneramur. Cum
enim victorias terrâ de tali hoste, cujus mari longe maxima potentia,
reportatas non existimares tantas, quibus bellum & quæ illud conse-
quuntur, terrarum vastitates, cades & exilia innocentium brevi fini-
rentur, maritimas juxta vires contractas domi voluisti, & ad Daniæ lit-
tora oberrare, ut magnanimus hostis, (qui se non undarum tantum lu-
sulas Regni sui circumfluentium, necdum ejusdem littorum, sed Baltici
admodum maris Dominum pridem ostentarat, caterum potentia a-
liena contemtor, Suecicæ virtutis non ex se, sed insidijs veteribus a-
stimator, & qui navium tuarum genere numero vè, tum populi tui in-
frequentia, & imbelliâ classiariorum se solatus pridem fuerat,) hæc au-
daciâ provocatus, mari se Tuis offerret, ibidemque belli eventum &
fortunam juxta experiretur. Nec fefellit Te opinio de ardore robustis-
simi senis & alacritate. Convocata ab ipso quantacunque, certe nu-
merosa & per valida navium manus; quicquid undique nautarum per
Daniam Norvegiamque deligi potuit, quicquid auctorari Vandalorum,
quicquid Cimbrorum potuit, quicquid cogi Belgarum, formidolosissimo
instituto destinatum. Sed quid naves dicam & castella maris &
propugnacula, si vastitatem atque usum æstimemus, eaque materialium
ac ferri robore, quod Danis hæcenus persuasum, tum tuborum eneo-
rum vastitate & machinarum invicta, incubi fretorum, per vigiles
omnes Arctoi velleris & orbis opum dracones, importuni terrarum
census exactores, domitores Albis & Visurgis, nobilissimorum Germa-
niæ fluminum, vis omnis utrorumque Regnorum, universa, præter as-
sentationis feditatem & propria ambitionis nebulas, dominatus novi
instrumenta simul producta sunt. Quorum omnium moderator, inusita-
te mobilis corpore dignissimum caput Rex ipse, ipse Rex classis formidan-
da Dux & Imperator fuit, ille, si quisquam potentium, nauticæ rei longe
peritissimus, sicuti inter maris undas natus, & educatus, juxta prom-
ptus, imperterritus, minime fugitans pugnarum; Hic apparare gnævi-
ter, discursare, hortari suos, properare ceu de Regnorum suorum salute

E

atque

atque summâ dimicaturus, inter tormentorum gratulationes, civium suorum plausus atque vota, imprimis muliercularum suspiria, lachrymas & planctus, ut forte præficarum instar, quod eventus docuit, Regis vulnera & discrimen, ducum & tot nobilium mortes, sedam denique classis fugam ante diem deslerent. Interim Caesar & Hispanus, Gallus, Belga, Germanus omnis, ut quisque in causam animatus, de eventu pugnae ominari, in cladem hujus, in alterius victoriam alij atque alij animis esse. Quod verò illud consecutum est, ut **JUSTISSIMUS JEHOVA** supremus arbiter atque **JUDEX** causæ tuæ patrocinatus, Tuis victoriam, hosti, qui non modo eam sibi ante prælium, sed urbi huic, & civibus excidium præscripserat, infestus atque iratus cladem, & pro gloriâ, quam injuria minime meruerat, ignominiam addixerit. Non verò ita primo hoc insultu ingens Regis animus frangi potuit, ut cessarit irascenti protinus fortunæ, sed novo nautarum per Norvegiam Daniæque insulas habito delectu, denuò classem bellatoribus machinisque instruxerit. Quæ, datâ nuper ad prælium occasione dato ve eodem loco, in quo proximè à Suedis feliciter certatum fuerat, Tuis congressa alterum æquitatis tuæ documentum præbuit, dum vires Daniæ regnorum anni hujus & omnem fastum ita attrivisti, ut ad incitas redacti hostes de insularum suarum & latibulorum, adeoque unica salute despondere animum didicerint. Non enim captæ inermes vel minutæ aliquot naves, sed classis regnorum universæ, post unam alteramve, navium firmissimæ leclissimæve, & quæ Daniæ Norvegiæque ac Holsatiæ provinciæ, & domus Danorum regum gentilitiæ nomina atque insignia veluti regalia circumferebant; trium Leonum, Leonum rursus duorum, Piscis coronati, Urticæ, Stormariæ, Oldenburgi, & quæ ipsi classis prætoricæ ominosa ad cladem nomina, Patientiæ inscripta erant; reliquis, quarum partim tituli ad deridiculum eorum, qui ipsis vehendi olim fuerint, comparati, in littora impactis, profligatis, mersis, exustis. Ut vix præter navium unius alteriusve nudas tabulas, tot clasariorum ex tanta manu eluctati fuerint, qui cladem suorum, & tuorum pariter virtutem, neutrum metuenti Regi nunciarent. Classis duces ad unum omnes vel trucidati, vel vivi venere in tuorum potestatem, quorum bini in socia urbe, hîc totidem prætoricæ, innumbris signis & aplustribus ornata, spectacula illustrissimi triumphi quotidie nobis præbent. Et ne locus ullus in gentis tuæ virtutem Danis ad mendacia relinqueretur, quibus ipsi hoc belli curriculo se & genus suum insigniter apud exteros, veri sine fuce & dissimulatione amantes prostituerunt: Tui soli, soli tui, inquam, pari & navium atque bellatorum cum Danis numero, sed majori animo, ac virtute, congressi, hostes tuos & Regni prostraverunt. Auxiliaria & mercenaria navigia partem victoriæ solummodò, nec nisi de victis jam & debellatis, fugatisve Da-

nis

nis navibus reportarunt, quod ipsorum Danorum vel Jutarum (quos
illi à se diversos & distinctos semper volunt) confessione, qui pralio in-
terfuere, & fame calculo notius est, quam ut infestissimorum quis-
quam hic dubitare videatur. Abeant itaque nugivenduli, & militarem
gentis tuæ gloriam proscindere convicijs pergant, accusent amplius
Sueciam tuam infrequentia & populorum sterilitatis; post amissam
classem, proscriptas mari naves & ad Hafnia latebras damnatas, inertes
& credula plebecula fabulis porrò vendant fumum recentis sui ac-
recordis dominatus. Suave profectò atque lepidum auctoribus, re-
liquis partium incorruptis verò & ratione sua utentibus ridiculum, ina-
ne, frivolum atque bardum commentum de rerum possessione, quæ in
hominum potestate nec sunt, nec esse possunt; vel ex insularum terra-
rumve mari adsitarum numero prerogativam aucupari, cum alij eo no-
mine longe potiores sint; sive ex prestita securitate jurisdictionem ali-
quam arguere, cum idem à partium Danicarum hominibus non ita pri-
dem urbi Imperij libera ex tutelâ in fluvium jus causatura obversum
fuerit. Certe sine quidem piratica in mari vindicibus ulla competat
in idem jurisdictio, minus adhuc juris illis tribuendum existimamus, qui
piraticam per iniqua vectigalia & omne propudiosa in liberrimarum
nationum fortunas improbitatis genus ipsi non in vagis & incertis, quæ
declinari possunt, sed condictis locis impune exercent. Agedum, si
quod esse tale jus possit, quale potest illò esse validius, quod bello com-
paratur, quando hostem mari bis vicisti; quo ve solum jure Veneto-
rum populus, emuli Imperatoris Friderici victor, Adriaticum mare su-
um hæcenus vocitavit. Secus Tu, prudentissima Regimarum, quic-
quam talium tibi jurium optas vel ambis. Quod à victo reportares,
vanum est, nullum est; nec ipso melius, si velles, acquisitura, sed cum
mari commune, fluxum, instabile, periturum. Quæ itaque cum sua
ambitione, cladis causa & pretio ineptiarum ventoso hosti ex asse lu-
bens atque merito relinquis. Recordaris, Augusta, quæ etate ad-
huc tua contigit, famosissimam temeritatem & titulorum impudenti-
am, quibus mortalium impotentissimus, Friedlandie Dux post devi-
tam adversam Casari Germaniam non in Baltici tantum maris, sed
ipsius adeo Oceani dominationem abuti gestiebat. Verum is tum fa-
cillime agnovit vesaniam opinionis, cum conasoens stolidissimi domi-
natus firmamentum, navium manipulus non à Danis, tum hostibus, sed à
Tuis, sicuti futuris dignioribus tantorum scelerum & digna talibus pia-
mentis audaciæ ultoribus in Sueciam tuam abduceretur. Et eandem
penè ferocis superbiæ, certè parem nuper expertus sortem alter illius-
modi, falsorum scilicet dominorum; cujus utrique Dania suæ insula-
rum sinus atque fauces, uno anno, ipsius ingratijs, à classe tua, interditi,
palam & in hostium oculis, procul necessitate, sed arbitrato, summaque
faci-

facilitate navigata ac veluti triumphata sunt. Ne littoribus interim
Et promontorijs ab eadem tutis, insulis terrore plenis, dominis plus quam
servili pridem metu occupatis, universis cause, Et animo, Et locorum
opportunitati plane diffisis. Factum vero illud justissima celestis Nu-
minis ultione, ut infesta maris ostia, quæ, fera exemplo Iani templi, pa-
cis apud Danos temporibus tot jam annos Septentrioni clausa fuerant,
bello à Te panderentur, atque simul ab iisdem vel in vetis, qui volentes,
pace sua, alijs bello fessis fecerant bellum, bello hoc, vicissim paci tuo-
rum Et majori navigantium securitati futurum consulereur. Ita non
minor apud hostes formido virtutis tuæ atque in eos ultio, ac civibus
socijsque ex bello eodem, ex eodem felicissimo pelagi referandi cona-
tu levamentum: in reliquas quoque terrarum mariumque incolas, si ma-
le volos excipiamus, plurimum inde beneficij derivatur, quando de re-
cuperandâ libertate omnem apud gentem spes excitasti maximas ac de-
sideria, ipsa spes, Salus, Felicitas atque Desiderium orbis Christiani. No-
bis verò, quibus illud gratiæ præ reliquis contigit, ut tua cominus bene-
ficia usurpemus, quanta jam præsidia nostræ spei ac votorum oppor-
tune oblata credamus, dum Suedici Gothicique orbis gubernaculum
sceptrum Aquilonis tui, Majestatis purpuram, diadema Regium ac tria-
ram, Patriæ decreto ac suffragijs, Patrum, Senatus atque populi omnis
Suecorum voluntate, socijs veluti dexteris erogari in Te videmus.
Suecia Tibi, Splendor Reginarum, splendidissimâ hodiè pompâ manda-
tur, illa Romani Imperij, gentium olim omnium ac terrarum domitoris
domitrix, conditrix legum atque constitutionum, quas major olim Eu-
ropa pars avidè accepit Et in diem hunc servat. Regnum addici-
tur Tibi, Augusta, in quo minime pro divinis commenta humana, pro
sacris profana superstitio, vel sacra diversa, dissidiorum civilium Et
bellosum fomenta obtinent, sed una, sed vera omnium religio, idem
omnibus rectissimus Numinis divini cultus. Regnum, in quo
non leges, quæ litibus, quæ discordijs, civium odijs, injurijs atque
pravus moribus occasionem, aut quæ ad sordes, ad comperendinatio-
nes, ad tricas, ad captiones causidicis Et causarum scilicet! patronis
materiem præbent, sed tales receptæ usu sunt ac dominantur, quæ nu-
mero pauca, usu amplissima, quæ planis, simplicibus, quæ concisis ac
significantibus, minime intricatis verbis consignata. Et cui, per De-
um immortalem! bono illa legum plaustra, illi sanctionum atque pla-
citorum acervi? Non ut discantur, vel ostententur, vel mole solâ ter-
reant, leges sunt, sed ut moneant, coerceant. Si infinitus regularum
numerus, quis teneat, quis sequatur? Duces quò plures, eò minus ple-
rumque obsequium. In pace jus Et æquitas plus apud Tuos naturâ,
quam legibus valet: in bello autem leges tui præscribunt alijs, cum
victores accipere nullas possint: ceterum honesto obsequio, fide, con-

cordiâ, in victis animis, innocentia & promptitudine ante plurimas na-
 tiones; quos inter nulli Agathocles, nulli Periandri, Syllas, Catilinas,
 Gracchos, & quaecumque talia regnorum portenta, Septentrio tuus
 ignorat. Idem tuorum omnium animus de sacris; de Reip. statu, de
 imperij ratione & obsequij omnes idem sentiunt, prospera & ad versa,
 clamma & compendia, laboros atque gaudia equaliter inter se partun-
 tur. Tanta Senatorum concordia, ut ipsi eodem veluti parente, eadem-
 que omnes matre ad invidendos illos hostibus amplexus nati, commu-
 ni natura lege instructi videantur. Civium vero atque populi non tam
 concordia, quam una omnium arctissima amicitia ac necessitudo. Quo-
 bus nunquam nisi cum hostibus bella, & si quod certamen, illud omnium
 pulcherrimum de solâ virtute inter ipsos est: rerum ceterarum facile se-
 curos alioquin, seu haud sine faenore: ut, dum alij divitijs indiant, hi in-
 veniant famam, dum alij otia sectantur atque voluptates, hi per labores
 & decora arma ad gloriam contendant, solâ virtute viam sibi sternant
 ad sanam aternitatis, quique nihil majori cum contentione & cura a-
 gendum sibi arbitrantur, quam ut præclaris factis exasperent hostium
 animos, ipsosque ad invidiam, calumnias, maledicta provocent amplius
 ac irritent. Ut frustra Sueciam tuam vastitatis, Sylvarum, steritis &
 confragosi soli quisquam arguerit, si ipsius fruges viri, si ipsa merorum
 propemodum Martis pullorum ferax, inertium cetera quidem non-
 nullis visorum atque rudium, sed nullius rei magis ac socordie vel tur-
 pis in bello fugæ; quales universi, non ætate grandes solum vel vetera-
 ni, sed juniores pariter, qui non annis, sed animis, sed duritie à Te cen-
 sentur; de hostibus atque socijs utrinque meriti, quorum illos exemplis
 suis, hoc beneficijs quotidie instruunt. Ceterum non volones, non va-
 gabundi, non inobsequentes, non scelerosi & profligati, quales pleri-
 que authoratorum, sed proprij, sed delecti, non ut quomque inuitat la-
 scivia vel licentia, sed series atque fors vocat. Quorum certe militum
 genere, utpote integerrimos tum calidissimis perpetuisve eorum cuius-
 que parentum pro incolunitate ad Deum supplicationibus nihil ad sa-
 lutem tutius, nihil ad victorias & felicitatem publicam validius esse
 potest. Atque his Tu foris afflictos sublevas, juvas socios, hosti-
 um ferociam, ambitionem, simultatem, invidiam & quicquid seculi
 vitiorum debellas. Domi vero, Deum optimum, i. quantus civium
 atque patriæ amor, quantus legum & honesti ubique cultus, quanta
 pro Rep. sollicitudo, quam indefessa cura. Novo & ante seculum no-
 strum inaudite exemplo, eâ ætate, ita Patres tuita, ut Virgo & sub tu-
 telâ constituta simul omnium Mater, mater Patrum atque ipsa Tutrix,
 Mater Patriæ, Mater Castrorum hæcenus celebreris. Qua sis in Eccle-
 siam reverentiâ, quam propenso in ejusdem Ministerium, in antistites &
 sacri ordinis admodum singulos animo, quantâ bonitate & beneficen-

tiâ; nemo rectius meliusve nobis edisseruerit Johanne Matthia, dignis-
simo Sudermannorum Prasule, viro publico Ecclesiæ Suevicæ bono
nato, & inter complura his in patriam meritis longè clarissimo, quòd
Te ad illam pietatem, illas virtutes & regia decora instituerit, ut Impe-
rantium desiderabile magis, quam eorum ulli imitabile, nedum ten-
tandum exemplar prædicari merearis. Civilis verò ordinis ac no-
bilium uniuersos summis Regni dignitatibus passim ornas, Augusta, sed
eos plurimum, qui eximiâ prudentiâ, virtute, illustribus facinoribus ac
in patriam meritis reliquos antistant, quos non honoribus tantum con-
dignis, sed omnimodè, animo insigniter gestiente, affectu applausus &
gratationis, voce laudum plenissima quotidie efferre soles, laudatissi-
mo illo more, sicuti cæteris Maximo parenti quàm simillima. Nec
reliquos minoris ordinis, ne quidem imam plebem benignissimis Ma-
jestatis tuæ radijs fovere dedignaris, exemplo cælestium plane siderum,
quæ non editis duntaxat atque magnis, sed minutissimis simul abjectis-
simisve terræ partibus vim suam impertiuntur. Quorum beneficiorum
sensu permoti, cujuscunque sortis Sueciæ tuæ ciues non possunt non
pro salute tuâ, pro æternitate tui imperij vota nuncupare. Bello victas
vel in clientelam à Majoribus tuis acceptas Livonum, Ingorum, Es-
thonumque gentes tam liberaliter ac benigne habes, ut privilegiorum,
jurium pro Regijs municipalium, consuetudinum, institutorum liberrimum
ipsis usum neutiquam in videas, & apud Esthones cum primis patiaris ea-
dem cum veteribus magistratum nomina, indigenis solummodo pro-
vinciæ munia ex more destinari, nisi quòd fidis ejusdem gentis atque
benè meritis majores & regni adeo supremos amplius honores addas,
contrariâ Danorum Regum munificentia, qui regnum olim liberrimum,
Norvegiam, quæ ipsis non bello, sed connubio, non in tutelam, sed æ-
qualem societatem, non in vita, sed cum liberâ Procerum utrinque vo-
luntate cesserat, vi & iniquissima occupationis titulo secula amplius
duo tenuere, exquisiti juris sui populum eò adigentes seruitutis, ut ei-
dem Senatorum Regni sui nomina penitus abolita, Proreges, iudices,
Ecclesiæ ministri, scribarum natio & infimorum quorumque magistra-
tum non nisi ex Dania insulis uniuersi præficiantur. Adeò nullum
antiqui decoris, nullum pristinae libertatis in tota gente vestigium, so-
lum truculentia & Danicæ iniquitatis monumentum relictum fuit, tam
fecundo sceleris proventu, ut injustæ possessionis nefas insidijs Iem-
ptiæ tuæ & Lapponiæ parti minus horridæ structis non puduerit viru-
lentissimos è vicinia Regum cumulare; adjectâ insuper, nescio vecor-
di magis, ac impudenti de limitibus Norvegiæ suæ rixandi libidine,
quòd eos pictis tabularum Geographicarum coloribus magis, quàm
conuentis pactionibus hostis tuus aliquando crediderit, distinguendos.
Quod nos Tecum ridemus, Majores tui, quorum ævo illud contigit fa-
tuita-

tuitatis, indignati, bello devictæ gentes tuæ indignitatem atque nefandam tyrannidem Divis omnibus devovent ac detestantur, juxta si fieri intimos animorum recessus & sensuum penetralia velint, maxime Tibi, Reginarum clementissimæ, de felicitate sua gratulantur. Gratulantur Tibi afflicti, quod manu tuâ & armis tam benigne subleventur. Gratulantur socij ceu orienti Aquilonaris celi nostri sideri, quod dis sita juxta ac proxima, æque aliena atque propria illustres foveasque. Quod Rhenus, veteres Galliarum termini, pessimo Austriorum malo, repetantur; quod Europæ arbitri, Alpes à Ludovici fortissimâ amitâ, Augustissimo ac fatali nomine, tum armis Tibi conjunctissimâ Allobrogum Dominatrice vindicentur; quod Flandriâ, Belgij hostilis animâ & Hispanicæ per Germanias securitatis obside hostes penè exuantur, inde fidei tuæ & victricibus armis socij gratulantur; quod in hostico ubique cominus timeantur Gothi tui, Austria nunquam fato suo propior fuerit, quis non federatorum virtuti tuæ propterea gratuletur? Ipsum seculum, ipse terrarum orbis Tibi, sui conservatrici gratulatur. Quod justis atque rectis, quod æquitatis & virtutum norma non ex libris amplius, sed ex Te tuisque quæ publicis, quæ private innocentissimæ vitæ actionibus commodius petatur, propterea ipsa Tibi Astræa atque Themis gratulantur. Quod triplicis elucteris belli difficultatibus, Sacris, Justis, Necessariis, civis tui, æqui amantium quique, & quotquot sunt verioris sensus Christiani Tibi omnes gratulantur. Quorum primo conscientiarum injurias & libertatis vindicas, altero debellos scelus & perfidiam, tertio dignitatem tuam, civium securitatem masculè tueris. Quæ proterenda penitus fuerat, vel auferenda, nisi in tempore prævenisses; quam cum tutata, non provocasti injuriam, sed tot annos clam illatam repulisti. Ipsi Tibi Manes Maximi Parentis gratulantur, quod magnum Gothorum nomen, quod ipse clarissimis illustrarat factis, Tu gloriâ indies & immortalis gestorum fama augeas. Gratulatur denique ipsa Tibi rerum natura, quod idem ætatis tuæ ad felicitatem annus, idem vel alter anni ejusdem sit mensis, ad justa & necessaria bella Martius, ad nominis celebritatem & victorias Augustus, idemque prope mensis omnis dies sit, quo de triumphis tuis terræ marique non nisi lati certatim nuncij huc perferuntur. Gratulatur virtus, quod Te invenerit, in qua, digno se campo conatus suos atq; vires omnes explicet. Gratulatur fortuna, quod sibi in Te experiri sit liberum, quid tota possit. Felix itaque & iterum felix magnus ille dies, quo tu, Augusta, amplissimam Suediæ Gothiæq; hereditatem, quæ ejusdem Vindici & Liberatoris, magno tuo proavo, illi alteri & primo fatalis nominis Gustavo, eodem ante hoc seculum anno, addicta fuerat, felix & triumphans adis, annorum hoc exacti feliciter seculi longe felicissimo. Tu æternæ, tu omnium potens, tu summe Deus Ecclesiæ Salu-

tem,

tem, Decus Reipubl. Christianæ, Columnen ruituri & decrepiti orbis no-
bis serues. Sator rerum, sator regnorum Christianam nostram serues.
Deus optime, quod dedisti Suecis optimum, conserues. Orbis afflicti
Vindicem, miserorum asylum, securitatis pignus nobis serues. Fac
Deus, ille dies, quem Christina natiuitatis & imperij hodie celebrat,
ipsi fiat ævum; neque hunc tantummodo, sed innumeros quàm felicis-
simos transigat, perpetuo pia, perpetuo felix atque triumphatrix. Vive
itaque salva & incolumis, claris indies factis partam virtutis gloriam
eternâ laude cumulatura. Vitâ, victorijs, & hac imprimis in seram pro-
pagandâ posteritatem famâ atq; nomine Deus Majestatem tuam bect;
**CHRISTINAM, GUSTAVI MAGNI MAGNAM
FILIAM PATERNA, AVITI REGNI, ET GENE-
RIS CHRISTIANI BELLA, IMPUBERE ÆTA-
TE, FATISCENTE AC EFFOETO VIRTUTIS
SECULO, VIRTUTE INCREDIBILI, VIRILI
ET PATERNO ANIMO AUSPICATAM, FER-
DINANDORVM, PHILIPPORVM, CHRISTIA-
NI DANIÆ REGIS, ET IN IIS IMPOTENTIÆ
OMNIS, AMBITIONIS, INVIDIÆ VICTRICEM,
OMNI VIRTVTVM LAVDE INCLYTAM, NON
SEXVI SVO TANTVM, SED REGIBVS SECVLI
CLARISSIMIS IN EXEMPLVM
VIXISSE.**



Pom

Ge 3656

20

ULB Halle 3
001 500 848



sb.

zahn
V017

m/l





52

PANEGYRICUS,
CHRISTINÆ

SVECORVM, GOT
VANDALORUMQUE
SEMPER AUGUS

IPSO SVO XVIII.^{mo}

Qui est dies Decemb

ANNI clb lccXXX

AVITI REGNI
GUBERNACU

FELICITER CAPES

Scriptus

a
J. W.



H. von ...

37 X

6

